

evidentia primorum principiorum, factorumque quae tum sensatione externa, tum conscientia perspiciuntur.

Evidentia mediata est perspicuitas quam res, respectu nostri seu in ordine logico, ex se non habet, sed ab alia mutuatur; huiusmodi est evidentia conclusionum. Exemplum utriusque evidentiae habes in sole et luna: sol enim est per se lucidus; at luna, corpus opacum, non lucet nisi luce participata a sole.

Evidentia objectiva. Rei perspicuitas &c., ut superius verbo *evidentia* definita est.

Evidentia subjectiva. Clara perceptio ipsius objecti intellectui praesentis vi evidentiae objectivae.

TESTIMONIUM. Actio qua testatur aliquis alteri rem a se cognitam. Testimonium, si personam testantis spectes, est *divinum* vel *humanum*; si materiam, *dogmaticum* vel *historicum*.

Testimonium seu magisterium divinum. Actio qua Deus nobis manifestat aliquid quod non est neque in se immediate neque in suis principiis intrinsecis manifestum.

Testimonium seu magisterium humanum. Actio qua nobis homo manifestat quasdam veritates.

Testimonium dogmaticum. Manifestatio veritatis ab aliquo teste *in rebus scientificis*, quo casu testis dicitur *doctor* vel *magister*, et testimonium seu magisterium vocatur *doctrina*.

Testimonium historicum. Manifestatio veritatis ab aliquo teste *in rebus facti*, quo casu